

ritatis Harmonia se se tam potenter exerat: iccirco, vice
versa, vniuscuiusque Sophistæ, & Pseudophilosophi Dis-
sonantia manifesto deprehendit.

Cum enim Sapientum mysterium numquam recte intellectu exerit, propriumque suum Cerebrum & viam sequatur: ea propter ipsius errorem qui uis artifex facile dignoscit. Harmonia ista verò præcipue in hisce punctis, ut potest in cognitione materiæ, illius solutionis, ponderis, ignis, & augmentationis consistit. Ad materiam quod attinet est illa quædam vnica, quæ omnia necessaria in se complectitur, qua ex omne fit, quod modo artis amans desiderat, nifus in arena videlicet, quemadmodum Philosophus Anastratus in Turba ait. Nihil preciosius quam maris rubra arena, & Lunæ sputum, qui splendori Solis additur, & coagulatur. Turb. p. 57.

Quod autem vnica ista materia requiratur, Agadmon eius rei testis est, dum inibi ait: Scitote, nisi corpus hocce meum sumatis, quod nullum habet spiritum, tunc id, quod quæritis, consequi non poteritis: idque ideo, quum in opere nihil peregrini inueniatur, nihilque, nisi quod purum est, ad illud requiratur. Omnem itaque multitudinem dimitto: Natura siquidem vnica dumtaxat re contenta est, & perit, qui illam non cognoscit. Eodem pene dicto vtitur quoque Arnoldus de Villa noua, in libello suo, qui *Flos florū* inscribitur. Lapis noster fit ex vna re, & cum vna re conficitur. Eodem modo inquit ad Regem Neapolitanum: Omne, ait, quod est in nostro Lapide, illo ipso opus habet, nulloque alio indiget: Lapis namque vnius naturæ & rei est. Et Rosinus: Certior fies, inquit, quod vnica saltim res fiet, qua exomne, quod concu-